



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Dub. V. Quot modis tollatur obligatio voti?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

DUBIUM V.

Quot modis tollatur obligatio voti?

Resp. Dupliciter tolli potest: 1. Nullius auctoritate interveniente: idq; vel materiae mutatione; ut si materia ante honesta fiat turpis, indifferens, vel impeditiva majoris boni, ratione novae circumstantiae vel prohibitionis; vel si fiat impossibilis, absolutè aut moraliter, vel desitione conditionis, à qua pendebat. 2. Interventu auctoritatis humanae: idq; tripliciter, irritatione, commutatione, vel dispergatione: de quibus sequentibus dubiis. Est communis, *Sanch. l. 4. cap. 24. Lef. l. 2. ca. 40. Shar. Fill. 26. c. 8. Unde resolves.*

I. Etsi tua culpa materia facta sit impossibilis, inutilis, &c. tamen postquam jam talis facta est, cessat obligatio, & sufficit penitentia de culpa.

II. Si concurrat obligatio duorum votorum incompossibilium, impleadum est id, quod est praestantium, & Deo gratius; alterum cessat. Quod si verò sit æquale, aut nescias utrum sit melius, impleendum est quod prius vovisti, & ruit posterius: si & hoc nescis, libera est electio. v. *Trul. l. 2. c. 2. d. 9.*

III. Si materia voti fiat impossibilis, quoad partem tantum, tunc si commode talis materia dividi non potest, aut non solet, ad nihil teneris: v.g. vovisti ædificare templum, si totum non potes, non teneris ad partem.

IV. Si verò dividi commode potest, & solet, manet obligatio ad illam partem, quam potes, ut v.g. 1. Qui non potest jejunare tota hebdomada, potest autem aliquot diebus, ad hoc tenetur. 2. Qui

ma-

matrimoniū contraxit, & consummavit post votum castitatis, tenetur non petere debitum, cum eatus votum ad huc sit possibile (reddere enim debet) v. Ben. p. 7. §. I.

V. Quod si votum dividi quidem possit, sed unum in eo sit principale, reliqua vero accessoria tantum, non per se seorsim intenta, sed dependenter a priori, tanquam illius appendices & modi, tunc si principale fiat impossibile, ruit etiam obligatio accessoriī, non autem contra; ut v. g. vovisti peregrinationem Romam in cilicio, & ibi certius liquid offere, si peregrinatio impossibilis fiat, non teneris ciliciū ferre, & oblationē mittere, v. Sanch. l. 4. c. 10. Bon. d. 4. q. 2. p. 4. §. 4. Trul. l. 2. c. 1. d. 10.

D U B I U M I.

De voti irritationē.

ARTICULUS I.

An, & quomodo tollatur obligatio voti per directam irritationem?

Resp. Cum non debeat violari cuiusquam dominium, ac quilibet dominus possit uti sua libertate, hinc si potestati dominativae alterius sit subjecta alicujus voluntas, potest is subditi istius omnia vota, qualiacunq; sint, ad suum libitum, sine ulla causa, valide irritare directe, hoc est, potest velle & pronunciare, ut illa vota nulla sint, ita ut nullo etiam casu obligatio postea reviviscat (etsi peccent, si absq; causa irritent, ut docet Leff. l. 2. c. 40. n. 75. Nav. Suar. Fill.) Porro hoc jus provenit ex jure positivo, quo datur alicui legitima potestas

de-